

NEGRI (Francesco)

CARMINA ALIA (308 vers)

## I TRIA CARMINA (156 vers)

AD D. IOANNEM FUXMANIUM, AULAE REGIAE SAPIENTISSIMUM REGENTEM,  
ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS PROSEUCTIQUE

CA\_1 v.1 Merces Cimmerio navita Bosphoro  
 2 devectans Syrias, sive hyacinthinas  
 3 Laenas, seu tyrianthinum  
 4 coccum, Santonicumve  
 5 Cypro navigio bardocucullulum :  
 6 Aegaei rapidos vorticis impetus  
 7 Tritonisque timet malos  
 8 saevam Cymodocenque ;  
 9 constans sed pelagi sustinet impii  
 10 anfractus varios et rabiem Noti  
 11 et quicquid mare fervidum  
 12 monstri protulit atri,  
 13 suspectans placidi sidera phosphori,  
 14 quo cursus penitus dirigat invios,  
 15 divos seu Lacedaemonas  
 16 clara luce secundos,  
 17 ut portum capiens quassa carinula  
 18 optatum, teneris imbuat hostiis  
 19 dis sacrum bene caespitem  
 20 tutelaribus, aurae  
 21 felici placido munere laetior :  
 22 Franciscus rapidos sic patitur Notos,  
 23 sic fluctu medio maris  
 24 iras imperiosi,  
 25 hinc Syrtes timet, hinc Acroceraunia  
 26 Ambraciosque sinus et ferum Apollinem ;  
 27 terrent Sithoniae nives  
 28 nutantem aequore puppim,  
 29 terrent et Scythici flamina Circii  
 30 et quicquid pelagi unda minax tulit ;  
 31 et ni Lucifer optimus  
 32 errantem regat oram,  
 33 vel signa arctophylax tarda remisit,  
 34 vel se Tyndaridae splendidiusculo  
 35 monstrarint mihi sidere,  
 36 fiet naufraga pinus.  
 37 Tu ergo solii gloria regii,  
 38 Fuxmani, patriae stella potentior  
 39 virtutisque parens, tibi  
 40 sacratae auspice Phoebos,

41 Cirrhaei penitus numinis optime  
 42 hospes, Pieridum praesidium, tuo  
 43 Maecenas solidus Nigro,  
 44 quem fortuna fatigat :  
 45 eia nunc radiis splendidioribus  
 46 lucescas, rapidi ne mala marmoris  
 47 horrescens peream citus  
 48 magno non sine damno.  
 49 Tu mi Tyndareas porrigito faces,  
 50 tu saevam remove pauperiem Nigri,  
 51 quem si candidiusculo  
 52 tandem cernis ocello,  
 53 continget misero calculus albicans  
 54 et quandoque ratem portus amoenior  
 55 errantem capiet, bono  
 56 tandem sidere rectam ;  
 57 nec dulce exodium defuerit tibi,  
 58 sed gratis fidibus nomen Olympicum,  
 59 Fuxmani, recinent bona  
 60 servi plectra Celaeni.

IN SANCTUM VIENNENSIIUM SENATUM  
 ODE DICOLOS TETRASTROPHOS PAEONIPROSEUCTICE

CA\_2 v.1 Sancte regentum metuende coetus,  
 2 Austriae splendor nitidumque sidus,  
 3 Delphicae rupis specimen, probator  
 4 semper honesti ;  
 5 juris excellens utriusque templum,  
 6 candidus morum scelerumque censor,  
 7 alme virtutis pater et amator  
 8 religionis :  
 9 cui decus semper pietasque cordi est  
 10 et fides albo decorata panno  
 11 quaeque dilectum crepitans salutat  
 12 verbere nidum,  
 13 cuique facundo modulatur ore  
 14 lingua, tinnitu resonans amoeno,  
 15 cui sedent divae placido Camenae  
 16 pectore semper.  
 17 Euge, quo plectro celebrare laudes  
 18 audeam tantas, venerande coetus,  
 19 quo tuas digno memorem cothurno  
 20 condiciones ?  
 21 Pectus in tantos, modulos anhelum est  
 22 et cupit gratae penitus canoros  
 23 mentis ardescens amor et cupido  
 24 scribere versus.  
 25 Magnus occurris tamen undecumque,  
 26 summus, excelsus, celebrer potensque,  
 27 quo fit, ut rerum tenues fatiget  
 28 copia vires.  
 29 Tu decus vatium, pariterque Nysae  
 30 splendor ornatae placidusque tutor

31 Delphicae sedis Clariaeque dignus  
 32 incola Cirrhae,  
 33 tu sapis quidquid sapere prisci,  
 34 quicquid et docti penitus novelli,  
 35 tu potes coetus veterum sophorum  
 36 aequiparare,  
 37 te colunt nostri merito poetae,  
 38 te vel intonsi potuere patres,  
 39 sancte regentum, cecinisse, coetus,  
 40 carmine digno.  
 41 Sed quod est plectro graviore dignum :  
 42 tanta facundo comitas in ore est,  
 43 tanta divino probitas refulget  
 44 corde fidesque,  
 45 ut tibi prorsus cupiamus omnes  
 46 et dies laetos facilisque soles,  
 47 tempus et felix niveo lapillo  
 48 condecorandum.  
 49 Sed Niger fidens humilisque servus  
 50 semper ardenti calamo sequetur  
 51 et tuas laudes nitidumque nomen  
 52 pectore firmo ;  
 53 sive ad extremos penetrabit Indos,  
 54 unde nimbosus rapidusque Ganges  
 55 in fretum praeceps ruit et minatur  
 56 unda procellam,  
 57 sive apud Seras Scythicosque pigros,  
 58 Sarmatas acris, gelidos Gelonos,  
 59 Thraces, Armenos, celeresque tento  
 60 Jazyges arcu,  
 61 sive ad angustum maris advolabit  
 62 Bosphorum vel quae loca protulere  
 63 Caucasum tristem populosque saevos  
 64 corpore mixto,  
 65 sive Germanos domitosque Cimbros  
 66 tandem et audaces Morinos, fidelem  
 67 regibus Gallum, docili Sicambros  
 68 crine decoros,  
 69 sive ad Hispanos triplices, Britannos  
 70 orbe divisos, vigilem draconem  
 71 hortuli ditis Libycosque fines  
 72 seu Garamantes,  
 73 sive apud Manes Niger hic manebit,  
 74 semper aeterno memorique corde,  
 75 sancte Germani populi senatus,  
 76 te celebrabit ;  
 77 semper et nostrae citharae lyraeque  
 78 barbitos, plectrum, calami, Camenae  
 79 facta cantabunt ubicumque vestra,  
 80 credite Patres ;  
 81 semper e nostris ovibus honesta  
 82 vota solvemus : meritis canentes  
 83 cocibus dicemus "io triumphe,  
 84 euge triumphe ! "

IN FAUSTISSIMI ARCHIDUCIS AUSTRIAE STATUAM  
DODECASTICHON EPIGRAMMA

CA\_3 v.1 Haec juga difficiles aditus tribuere, viator,  
2 et nunquam plaustro se voluere premi.  
3 Ast ego, qui docui montes parere superbos,  
4 Sigismundus, iter curribus usque dedi.  
5 Austria me coluit coluitque Carinthia semper  
6 Archiducemque timet Stiria magna suum ;  
7 Carniolaeque ducem celebrant comitemque Tyrolis :  
8 et pariter montes, flumina, plana timent.  
9 Impulit haec fieri Graecorum fama, Caballus  
10 Antonius, noster qui modo quaestor erat ;  
11 praepositusque sacris Wolfgangus Brixina nostris  
12 Neundlinger tanto praefuit usque bono.

II

(72 vers)

CARMEN AD LEONARDUM

CA\_4 v.1 Diximus, attractis causa brevitatis habenis  
2 quantum vix tenui convenit ingenio,  
3 maxima pars restat laudum, Leonarde, tuarum ;  
4 ex alia super est horula parte brevis.  
5 Membra quis enumeret cunctarum singula rerum  
6 limitibus clausus temporis exigui ?  
7 Quare ego constitui celeri mihi quaerere portum  
8 remigio et lento subdere calcar equo.  
9 Sed mici Pegasei tribui vel fluminis haustum  
10 optarem aut viridi tempora fronde tegi,  
11 quo te faticino possem super aethera cantu  
12 tollere et astra super stema locare tuum :  
13 dicere quo veterum titulos et avita tuorum  
14 nomina et a Priami tempore regis avos  
15 Trojanoque tuam deductam sanguine gentem  
16 Romanas tandem nobilitasse domos  
17 Adriacumque suis decorasse nepotibus orbem  
18 temporibus, Caesar Valeriane, tuis.  
19 Victores canerem Crassos terraque fretoque,  
20 facundo nactos cum Cicerone locum ;  
21 Crassorum auderem Cressi componere gazis  
22 divitias, quibus haud Hermus abundat aquis ;  
23 exprimerem fuerit quae forti in pectore virtus,  
24 quanta viris celebri cum probitate fides,  
25 totque tuos claris proavos cecidisse sub armis  
26 pro Veneto fortes fortiter imperio,  
27 quorum pars terra, pars expiravit in undis,  
28 quos Nereus sedes misit ad Elysias.



FRANCISCI NIGRI VENETI DOCTORIS IN CASSANDRAM PISTAEAM  
PAEONICON SAPPHICON

CA\_5 v.1 Virgo, cui tinnit Falerata lingua  
 2 ore facundo gravibusque dictis,  
 3 cui tonat dignum Cicerone pectus  
 4 eloquiumque,  
 5 sive sermonem sequeris pedestrem,  
 6 sive bullatum potius cothurnum  
 7 vel quod intonsi sapere patres  
 8 quodque novelli,  
 9 nescio quo te celebrare plectro  
 10 debeam ; laudes subeunt Camenis  
 11 namque tot nostris, quibus alma fulges  
 12 virgo per orbem,  
 13 cedat ut plectrum facilis Properti,  
 14 Musa Nasonis simul et Catulli  
 15 atque onus tantum fugiat Maronis  
 16 Calliopea.  
 17 Flebilis illi statuere versus :  
 18 Cynthiae dulcis modulatus ignes  
 19 ille, dilectae lacrimans Corinnae  
 20 alter amores ;  
 21 Lesbiae flammam cecinit Catullus,  
 22 filium laetae Veneris poeta  
 23 omnium princeps simul et deorum  
 24 arma virumque.  
 25 Quid novi tandem cecinere tales ?  
 26 Hic virum fortem, solitos hic ignes  
 27 dixit et quae sunt recitata quondam  
 28 carmine prisco.  
 29 Tu tamen cunctos superas, puella,  
 30 quos vel ornatis fidibus Latini  
 31 sive nugaces voluere Graii  
 32 esse sub astra.  
 33 Hinc nites pulchra facie, venusto  
 34 crine, Paestanis labiis, serena  
 35 fronte, ridenti penitus oculo  
 36 numinis instar.  
 37 Hinc velut sidus nitidum refulget  
 38 casta mens, sanctum simul et pudicum  
 39 pectus et summa probitate totum  
 40 corpus odorum.  
 41 Inde facundo vigilata corde  
 42 dicta mirantur juvenes senesque ;  
 43 credimus scriptis utriusque linguae  
 44 numen adesse.  
 45 Ecquis ornatus poterit pedester  
 46 prosequi tantas totidemque laudes ?  
 47 Ecquis in dignos poterit cothurnus  
 48 surgere cantus ?  
 49 Virgines multi cecinere doctas,  
 50 Tulliam, Gracchi pariter sororem,  
 51 quaeve facundi meruit parentis

52                   dicier haeres ;  
53       saecla quas vano genuere mundo,  
54       nam decus linguae licet ipse Phoebus  
55       cesserit tantis merito puellis  
56                   more vetusto,  
57       non tamen pectus tribuit pudicum,  
58       quod tibi Pallas dedit inter omnes,  
59       quod tibi virtus, probitas fidesque  
60                   cana reliquit.  
61       Ergo divino decorata vultu  
62       virgo, divinam sapiensque vocem,  
63       quod nisi sacrum tibi numen esse  
64                   confiteamur ?  
65       Sacra es et caelo veniens profecto,  
66       ut leves Martis populum ferocem,  
67       saecla Saturni tribuasque nobis  
68                   sidere fausto,  
69       diva, sed quo te populus fatiget  
70       thure ? Vel quovis titulo vocari ?  
71       Jure Pistaeam precibus pudicis  
72                   flectite vates.  
73       Hanc sibi Phoebus cupiat puellam,  
74       haec novenarum numeros Sororum  
75       augeat ; denam vocitemus omnes  
76                   hanc quoque Musam.  
77       Haec mihi cantus tribuat fidesque  
78       haec modos, plectrum, citharam, cothurnum,  
79       haec mihi demum faveat deinceps  
80                   Calliopea.